

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reipol.
1624.

CHRISTOLOGIAS SACRÆ
Disputatio Trigesima Nona,
De
SEPULTURA
CHRISTI.

Quam
Annunte Θεολογίας

SVB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI
S. S. Theol. D. & P. P.

In privato Collegio ad disputandum
proponit

M. GEORGIUS CRUSIUS
Borussus.

Habebitur ad diem 9. Januarij horis
pomeridianis.

In auditorio minori.



WITEBERGÆ
Johannes Gorman excudebat,
ANNO dō. 13. CXX.



*Admodum Reverendo, Clarissimo
atq; Excellentissimo Viro,*

DN. JOHANNI BEHM
S.S. Theologiæ D. ejusdemq; in Aca-
demia Rëgiom. Professori celeberrimo,
Concionatori aulico vigilantissimo,
Consistorij Sambienfis Af-
fessori dignissimo,

Præceptoris, Fautoris ac Patrono observando.

UT ET

*Amplissimo, Consultissimo, Spe-
ctatissimoq; Viro,*

DN. CASPARO GELHAR
Serenissimo & potentissimo Electori
Brandenburgico, & Duci in Borus-
fia &c. à Secretis fide-
lissimo,

*Patrono ac Promotori summo
observantia cultu colendo*

consecrat

M. GEORGIUS CRUSIUS
R. & A.

CONTINUATIO.

Historia salvifica Christi Passionis, in quinque memoriae consulendi gratia, dispe-
scitur actus: Primus gesta in horto contem-
platur, occupatus potissimum, circa Christi egres-
sum in hortum trans torrentem Cedron, occasio-
nem prodendi, comitatum Iudae, formam agendi,
consternationem militum, salvum conductum di-
scipulorum, Petri fervorem, Christi vincula: Alter
gesta in domo Caiphae, considerans abductionem
Christi ad Pontificem, Petri abnegationem, de Chri-
sti doctrinam inquisitionem, cum insigni contume-
lia, iustam, innocentiae defensione: Tertius gesta co-
ram iudice in praetorio, perpendens abductionem
Christi ad secularem iudicem, Christi flagellatio-
nem, spineam coronationem, interrogationem ju-
dicis, Christi ad quaesita responsionem & silen-
tium: Quartus gesta in loco supplicij, explicans
Christi ad supplicium deductionem, crucifixionem,
crucis titulum, vestimentorum partitionem, Ver-
ba Christi patientis postrema, lateris apertionem:
Postremus gesta post mortem circa sepulturam.
Quatuor prioribus actibus in praecedentibus haec-
tenus expeditis disputationibus, caelestis aera flatu
huc delati sepulturam in praesenti $\sigma\omega\delta$ $\chi\rho\iota\varsigma$ $\tau\epsilon$
 $\delta\alpha\mu\mu\epsilon\nu\omega$ $\omega\epsilon\iota\sigma\tau\epsilon\lambda\eta\kappa\omega\varsigma$ examinanda suscipiemus.

T H E S I S I.

Primum quod circa sepulturam Christi perpendendum: An Christus sit sepultus? Expenditur hoc *ἔντιμα* ob mortis Christi confirmationem, siquidem non vivi, sed mortui sepeliri consueverunt. Et nisi Christus contumelatus, predicationi resurrectionis opponi potuisset, discipulos ex cruce ipsum sustulisse & mentiri resurrectionem, vel semivivum e cruce sublatum iterum sanasse.

I I. Sepultum vero esse Christum tribus elicimus fundamentis. 1. Ex operis typorum depromptum adumbraculis. Ex typis excellentissimus maxime typus est Ionas, a Balena absorptus, &

(a) Ion. 2. tertio mox die iterum eructatus, [a] atq; a Chri-
v. 1. 2. 11. sto ad se accommodatus sic inquit: Sicut fuit

(b) Matt. 12, 40. Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terre tribus die-

Luc. 11, 29. bus, ac tribus noctibus. [b] Secundarij complures:

(c) Gen. 39 Iosephus in carcerem coniectus, [c] & inde rursus
v. 20. liberatus; [d] Simson oppido Gaza inclusus, atq;

(d) Gen. 41 istinc portis oppidi perruptis elapsus [e] &c.

v. 14. III. 2. Ex apertis Prophetarum desumptum oraculis. Vaticinia de sepultura Christi e-

(e) Ps. 105, 20. dita sunt duo admodum clara: Prius extat in
(e) Iud. 16. Psalmo decimo sexto v. 10. Interpretatur Psal-

v. 3. mum Calvinus comminatorie, quasi Propheta hic denunciaret futuram Dei vindictam populo & dicto hoc sui liberationem adumbret. Verum 1. Contra allegationem Apostolicam, & verbo-

rum

rum ad numerum recitationem ad Christumque applicationem factam. Act. 2. v. 25. 2. Contra historiā Davidis, cum qua verba hæc, Si de Davide sumantur, pugnant. Sepulchrum enim Davidis intus fetere, & cariem absumpsisse tum carnem, tum ossa Prophetæ, nec quicquam restare, nisi pulverē historia de David nos convincit. Vid. B. Hunn. in Calv. Iudai. Posterius Esa: 53. v. 9. In quo dextræ & καὶ ἀναλογία πίσσεως explicando varie se macerant interpretes. Quidā impio: & divitem pro synonymis habent. Quidam ἀντιμεταβολὴν à propheta usurpari autumant. Calvinus pro suā fingendi ac refingendi consuetudine sepulchri significationem propriam in metaphoricam transformat. Sed veritas in aprico, si modo fontes penitus introspiciantur, cumque vaticinio hoc prophetico ejusdem complementum Evangelium ἐξ ἀλλήλων conferatur. Hoc si feceris deprehendes verum ac genuinum Aphorismi prophetici sensum esse hunc: Christus à divite, intellige Iosephum Arimathæum (Ἰωσήφ) honorificā sepulturā afficietur, postquam mortem sustinuit, (Ἰησοῦς) ejusque sepulchrum ab impiis Iudæis militibus impiis (ἄσέβητοι) custodiendum commendabitur.

IV. 3. Ex harmonico quatuor Evangelistarum testimonio, qui uno ore unanimiter sepulturam Christi testati. Nec aliquid Veritati decedit in eo, quod tres priores negotium in curandā sepulturā soli Iosepho Arimathæensi defere-

runt; Iohannes verò ipsi adjungat Nicodemum. Rei hujus caussa, quod Iosephus solus à principio hoc negotium susceperit, & corporis sepeliendi potestatem à Pilato impetraverit; Nicodemus vero postmodum accedens manus admovit. Ideo tribus Evangelistis prioribus in brevi narratione visum fuit sufficiens uni Iosepho sepeliendi officium tribuere.

V. I I. Circa Christi sepulturam cognoscenda ejus caussa, quæ duplex: vel primaria, vel administrativa.

VI. Primaria caussa Deus est, qui non modo sepultura morem hominum animis indidit, juxta (a) Gen. 3. v. 19. illud: terra es in terram reverteris; [a] officia defunctis exhiberi mandavit, [b] quod ipsum & (b) Eccl. 7. v. 37. à sanctis præstitum; [c] & privatione sepulture divinam suam iram declarat: [d] Sed etiam in (c) Gen. 23. specie Christum sepeliri ordinavit. In rei fidem v. 19. c. 50. 13 allegamus illud Pauli, Christum nimirum pro Tob. 4, v. 3. peccatis mortuum esse secundum Scripturas, & sepultum secundum Scripturas & c. 1. Cor. 15. v. 3. (d) Ps: 79. v. 3.

VII. Caussam administram obeunt duo, 2. Reg. 9, 10. singuli quibus elogiis ab Evangelistis commendentur, videndum. Alter eorum describitur i. à patria, quod oriündus ab Arimathæa. Qualis hæc fuerit urbs, inter eruditos non convenit. Nos sequimur D. Hieronymi sententiam, autumantis, hanc urbem esse eam, quæ ab Hebræis אַרְמַתְיָא à LXX. Interpretibus Arimatha vocatur, patriaq; est Samuelis, atq; viginti millibus passuum ab Urbe

be Hierosolyma distat. 2. à fortunis, quod dives.
 Et merito propter divitias commendatur, non
 tantum propter earundem κτήσιον, sed etiam pro-
 pter χεῖρον inde insigniter conspicuam, quod eas
 ad sepulturam DOMINI cohonestandam largâ
 manu, & πλοῦι μετέω contulit. 3. ab appel-
 latione, quod dictus Iosephus. Nomen admonet
 nos typi. [a] Quemadmodum Patriarchæ Iacobi, (a) Gen. 50
 postquam pedibus super lectum collectis animam v. 2.
 exspirasset, à Iosepho filio, corpus demortuum, a-
 romate prius conditum, honorificè terra deman-
 datur: Sic postquam cœlestis Iacob infernalis ser-
 pentis supplantator in lectulo crucis placidâ mor-
 te obdormivisset, unus ex spiritualibus ipsius filii
 Iosephus Arimathæensis, corpus ejus unguentis &
 aromatibus pollinctum honestâ sepulturâ affecit.
 4. à vitæ statu, quod fuerit βουλευτής & qui-
 dem Hierosolymitanus, unus scilicet ex Senioribus
 populi, sive Senatoribus in Synedrium cooptatis,
 ut conspicuum ex subsequentibus, quod non con-
 senserit consilio & factio collegarum suorum, in
 CHRISTI necem conspirantium. 5. à pieta-
 te, quæ elucescit, partim quod discipulū se præ-
 buerat JESU, auditorem & sectatorem ejus e-
 gerat, licet quo ad tempus hanc historiam ante-
 gressum occultum; partim quod expectaverat
 regnum Dei, h. e. Messiam ac liberationem per i-
 psam præstandam, itemq; spirituale & cœleste re-
 gnū per ipsum inchoandū. 6. ab honestate (ἀνὴρ
 ἀγαθὸς καὶ δίκαιος) Fides & religiosa pietas
 A 4 expref-

expressa membro precedente, hoc exponit exter-
nam ejus erga homines conversationem, quod ni-
mirum fuerit beneficus, nemini injuriā inferens,
sed strenuus justitię cultor, & benignus erga o-
mnes. 7. ab opera navata circa sepeliendū Chri-
stum. Audacter eundem ingressum esse ad Pilatum
& postulasse corpus Christi: literis proditum ab Ev-
angelistis. Alter vero i. ab officij dignitate pa-
riter & pietate, quod Phariseus, ac Princeps Ju-
dæorum, qui veritus collegarum suorum odia no-
ctū ad Christum venerat, & inter cetera concio-
ni membra typum serpentis aeni expositū audie-
rat. Ut videre ex tertio capite Iohannis. 2. a stu-
dio, circa Christi sepulturā. Attulisse dicitur mi-
xturam myrrhæ & aloes, ad libras fere centū, ut
aromaticis istis unguentis corpus Christi condiret.
LIX. Queritur: An in religionis negotio-
res indifferens sententiam suam exigenti
& simulare aut confiteri? Ludunt sic non-
nulli in religionis negotio, liberum pronunciantes,
aliud corā se fovere, aliud literis testari, atq; in pa-
trocinij vocantes exempla Nicodemi, & Iosephi
infirmæ fide præditorum. Verum homines talem
hypocrisim atentes, neq; firmā, neq; infirmā munitid
fide, nec commemoratis exemplis se tueri queunt.
Licet enim occulti Christi discipuli, non tamē ve-
ritatē hypocritice dissimulasse putandi, quin con-
trarium elucescit Ioh. 7. v. 51. Aliud itaq; esse oc-
cultum Christi discipulum, qui serio ad profectum
fidei contendit, & in agnitos errores non consen-
tit.

tit: Aliud postulat am veritatem hypocritice dissi-
mulare. Qui hoc faciunt, abnegant ipso facto Chri-
stum, quod imputare Iosepho & Nicodemo pietatis studio aeditissimis à nobis sit alienissimum.

IX. 2. *Queritur*: Quomodo pij senato-
res & magistratus in judicijs & gravioribus
præsertim consultationibus se gerere de-
beant, si votorum multitudinem superentur,
& videant iniustis sententijs damnari in-
nocentes? Exemplo admoniti Iosephi cavere sibi
debent senatores & consules, ne contra conscien-
tiam in facinus aliquod iniustum, præsertim ubi
innocentiorum & fidelium sanguini insidie struun-
tur, ullo modo consentiant, si prohibere quod ma-
lum est, non possunt, hoc tamen possunt, ut suam
sententiam non approbent.

X. III. *Circa sepulturam cognoscendus est*
sepulturæ actus, quem ex Evangelistis liquet
fuisse talem: Potestate ijs facta corpus Christi ex
ligno deponendi, transtulerunt illud ex loco pu-
blico in hortum vicinum (neque enim sub cruce in
conspectu omnium illud abluere & ungere volue-
runt) deinde sanguinem, quo cruentatum erat,
totum abluerunt, corpus ablutum aromatibus
ad unguenti formam redactis unxerunt, postea
corpus sindoni mundæ implicarunt, caputque su-
ario involverunt.

XI. *Queritur*: An corpus Christi à pu-
trefactione immune? Absit, propterea corpus
Christi esse pollinctum, ut à putredine præservare-

tur. Aliter sensit David, sic de Christo vaticina-
tus: Non derelinques animam meam in inferno,
nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. hoc
ipso carnem Christi supra communem generis hu-
mani sortem extollens. Licet itaq² vere anima de
corpore exivit, corpus tamen tam tuto quievit, ut
ne quidem unius blattæ, vel tineæ morsus resor-
midarit, aut ne quidem calor circumstans mi-
xturam quatuor elementarium qualitatum in cor-
pore turbare, corrumpere, putrefactionem sive cor-
ruptionem inducere potuerit. Idq³ 1. propter u-
nionem cum λόγῳ, Fieri enim non potuit, ut per-
sonalis unio maneret salva, & interim corrumpere-
retur, vel putresceret corpus. Nam quod λόγος
semel assumpsit, neq³ deserit, neque cum alio com-
mutat. 2. Propter effusionem largam ipsius
Spiritus Sancti, tanquam balsami & olei letitiæ,
contributi in carnem Christi, sine omni mensura.
Sicut enim balsamum servat corpora diuturna
in sepulchro: ita balsamum Sp. infinitis modis ef-
fusum conservat carnem Christi sine corruptione
in infinitam, idq³ præ consortibus suis. 3. Propter
sanctitatem carnis Christi. Nam quod corpora
nostra putrescunt, sit ad extirpandam peccati ra-
dicem, quæ cum non inhaerit carni Christi, non
eguit quoque putrefactione.

XII. 2. Queritur: Si corpus Christi à pu-
trefactione immune, quid igitur Josephum
ad corpus Christi unguendum impulerit?
Videtur aliqua fidei infirmitas subesse, quod aro-
maticis

ticis unguentis à putredine preservare cupiant
tertio die resurrecturum. Sed quia divino procul
dubio instinctu munus hoc obierunt, rectius dixe-
ris, vaticinia de Christo resurrecturo eorum co-
gnitionem non effugisse, cum resurrectio ne hostes
latebat, nec falsitatis eadem sepultura officio ar-
guere voluisse, sed pro re nata fecisse hoc ad pieta-
tem declarandam in preceptorem, quæ exigebat,
ut mortuo sepultura honor & officium deferatur
à discipulis, modum vaticinia illa complendi in
verâ fidei humilitate Deo committentes.

XIII. 2. *Queritur*: Quomodo nos circa
de mortuos gerere oporteat? Vestigijs insi-
stamus Iosephi & Nicodemi, officiosam erga Chri-
stum defunctum operam nobis commendatam ha-
beamus, ut quemadmodum hi, sic & nos corpora
pie defunctorum honeste funeremus, cum sint ma-
nuum divinarum opificia, mystici corporis Christi
membra, ac Spiritus Sancti domicilia, admoniti
serio mandato divino Eccl. 7. v. 31. mortuo non
prohibeas gratiam.

XIV. 4. *Queritur*: An pro defunctis pre-
ces fundendæ? fabulosa cerebri monachalis
commenta e curioso purgatorij fundamento ani-
liter pullulantia non audimus, nec moramur, ge-
stimus audire ex divinis oraculis depromptum
mandatum, videre exemplum. Verû cum ne uni-
cum Scripturæ canonicæ dictum, atq; exemplum,
licet in inquirendo omnes animi ingenijq; vires in-
tendat, proferre valeat, valere jubemus cacodoxâ
opinio-

opinionem de oratione pro defunctis, eandemq[ue]
tanquam scriptura e diametro oppositum detesta-
mur.

XV. IV. Quod ad institutum nostrum facit,
est tempus, tum curati funeris, atque sepulture
traditi; tum facte quietis in sepulchro.

XVI. Tempus curati funeris Evangeli-
stæ expriment fuisse diem paresceves, diem proxi-
me precedentem Sabbathum, ὀψίας ἡπομένως
Sole vergente ad occasum.

XVII. Tempus quietis in sepulcro con-
stituunt triduum. Eo ipso die quo mortuus Sal-
vator curatum funus, & sepulture traditum.
Sequente toto, qui Sabbathum, in sepulcro jacu-
it. Sicut enim DEUS absoluto creationis opere die

(a) Gen. 2,2 sexto, quievit die septimo [a]: Ita Filius DEI per-
acto opere redemptionis in cruce die sexto hebdo-
madis, quievit die septimo in sepulchro. Ineunte
die sequente duodecim horis aut circiter quievit
in sepulchro & eo ipso die resurrexit.

XVIII.V. Quod considerandū Locus est, quem
describunt Evangelistæ i. Fuisse monti Golga-
thæ vicinum, & sit extra urbis mœnia. Iudæo-
rum morem secuti cœmiteria extra quam intra
urbē, alijs circumstantijs permittentibus esse con-
venientius ducimus; tum ad prohibendū contagiū,
tum ad significandum per mortem ex consortio
(b) Heb. 13, 14. hujus vitæ in aliam nos ingredi civitatem. [b]
tum ad præcavendas superstitiones vigiliarum,
anniversariorum, aspersionum per aquam lustra-
lem.

lem &c. quæ circa sepulchra defunctorum in Papo-
tu exercentur. Hac de re videatur Cl. Theol.
Dn. Doct. Gerhardus in harm. c. 19.

XIX. 2. Fuisse in horto. Admonemur pec-
cati à protoplastis in horto paradisiaco perpetrati.
2. Passionis in horto captæ ac finitæ, per quam pec-
catum expiatum, mors devicta. 3. Fragilitatis
nostræ, quod omnis caro fœnum, dies ejus tan-
quam flos agri. [c] 4. Resurrectionis nostræ, quod (c) Es. 40.
germinatura ossa nostræ aliquando sicut gra- v. 6. Eccl. 14.
men. [d] 19, Iac. 1, 18.

XX. 3. Fuisse monumentum novum. 1. Pet. 1, 24.
Et 1. Ob certitudinẽ resurrectionis, ne si quis alius Psa. 103, 15.
ibi fuisset sepultus, alius crederetur resurrexisse. (d) Es. 66,
2. Ob insignem ejus puritatem. Quemadmodum e- 14.
nim ejus nativitas, omni nativitate purior erat,
ita debuit etiam sepultura insignem habere puri-
tatem. 3. Ob reverentiam, quia corpus illud divi-
nitatis templum erat, ac propterea non decebat
corporibus corruptibilibus adjungi. 4. Quia cele-
riter erat suscitandum, cum cetera extremo
tantum die ad immortalitatem sint resurrectu-
ra: Ideoque cæteris mortuis minime conjungen-
dum.

XXI. 4. Fuisse monumentum Josephi
justi. Inter latrones in cruce mortuus erat, sed
in monumento justè sepeliri voluit, quia pro pec-
catis mortuus non erat ulterius moriturus, sed ju-
stitiam & vitam credentibus distributurus.
Rom. 4, 24.

XXIII. 3. Fuisse

XXII. 5. Fuisse monumentum alienum. Cum vitam ageret, non habebat, ubi caput reclinaret. [a] ergo nec ex vita evocatus proprium habere voluit sepulchrum. Ecce etiam proprium haberet sepulchrum, qui triduum duntaxat in sepulchro commoraturus erat? cur proprium haberet sepulchrum, qui propter alios necari, ac sepeliri voluit.

XXIII. 6. Fuisse ex solidâ rupe excisum, ne improbi Iudaei quavis specie mentiri possent, discipulos per subterraneam quâdam fossam ad sepulchrum penetrantes corpus Christi ex eo surtim abstulisse.

XXIV. 7. Fuisse ad ostium monummenti advolutum ingens saxum, ne quis in mortuum sevirer, aut illud suffuraretur. Mederi & hoc pacto divina providentia omnibus vanis suspicionibus voluit, ac gloriosae Christi resurrectioni viam sternere.


XXV. VI. Est Sepulturæ concomitans, quod exprimit comites funeris, de quibus ita Matthaeus [b]: Erant ibi Maria Magdalena, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum. Marcus [c]: Maria Magdalena & Maria Ioseph adspiciebant, ubi poneretur. Lucas [d]: Subsecute mulieres, quae cum eo venerant de Galilea viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus ejus.

XXVI. VII. Sepulturæ finis. Sepeliri voluit Dominus, 1. ut vaticinia Prophetarum impleren-



plerentur. 2. ut una secum in sepulchro peccata
nostra sepeliret, & in eternum à conspectu Dei
absconderet. 3. ut nostra nonnatura sanctifica-
ret, & vivifico mortis suae odore perfunderet, ac i-
ta sepulchri horrorem excuteret, & resurrectio-
nis spem assereret. 4. Ut figuraret mysticum illud
sanctificationis Sabbathum, quo peccata nostra
assiduis poenitentiae exercitiis sepelienda, nobisq;
ab operatione impietatis quiescendum. [e] 5. Ut (e) Rom. 6.
majorem ac firmiorem faceret fidem mortis suae. v. 4.
XXVII. Postremum est sepulturae conse- Heb. 4, 10.
quens, quod est accessus principum Sacerdotum ii.
& Phariseorum ad Pilatum, petitio de custodi-
endo corpore Christi ad triduum, petiti impetra-
tio. Sic refert Matthaeus: [f] Altera die, quae est
post parasceven, convenerunt principes Sacerdo-
tum, & Pharisei ad Pilatum, dicentes: Domine
recordati sumus, quod seductor ille dixit adhuc
vivens: Post tres dies resurgam, jube ergo sepeliri
sepulchrum, &c. Vivis coloribus depingit Mat-
thaeus malam conscientiam, quae causam, quam
fovet malam, quoquo modo firmare tentat, &
nullas non rationes instituto suo provehen-
do accommodas effingit.

CHRISTO Theanthropo gloria.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

OGIAS SACRÆ

igesima Nona,

De

LTURA

ISTI.

uam.

Θεολογίας

RÆSIDIO

SARIS MEISNERI

ol. D. & P. P.

io ad disputandum

oponic

US CRUSIUS

ruffus.

m 9. Januarij horis

ridianis.

rio minori.



BERGÆ

man excudebat,

lo. Is. CXX.

